



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Praxis Episcopalis**

**Piasecki, Paweł**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

In quibus absolueri possit Episcopus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61608)

## ARTICVLVS II.

## In quibus casibus absoluere possit Episcopus.

- 1 Episcopo incumbit cura animarum totius Diœcesis.
- 2 Sacerdos non approbatus nulliter audit confessionem.
- 3 Parochus censetur approbatus ipsa prouisione de beneficio curato.
- 4 Parochus licet habeatur pro approbato, non potest audire confessiones in tota Diœcesi.
- 5 Parochus potest audire confessionem sui Parochiani etiam in aliena Diœcesi.
- 6 Episcopus potest concedere approbationem ad confessiones, siue amplam, siue limitatam.
- 7 Regulares debent obtinere approbationem ad confessiones ab ordinario.
- 8 Approbatio ad confessiones Regularibus concessa, quomodo reuocari possit.

**C**asibus itaque præmissis exceptis in omnibus alijs absoluere potest Episcopus in foro animæ: habet enim plenâ quo ad hoc potestatem in sua Diœcesi. *c. Deus qui de pœnit. & remiss. vt est ordinarius rector & confessor suæ Diœcesis. vt notat gl. in cap. si Episcopus. tit. cit. in 6. Host. in sum. eo. tit. num. 14. Ang. v. confessio. 3. num. 3.* ipsique principaliter incumbit cura animarum suæ Diœcesis. *cap. quacumq. 10. q. 1. c. precipimus. 12. q. 1.* ita quod alij inferiores Sacerdotes licet in ordinatione sua recipiant absoluendi potestatem, tamen sine alia speciali Episcopi licentia & approbatione, absoluere non possunt. *cap. cunctis fidelibus. 16. quest. 1. c. presbyteri. cap. si. 26. q. 6. S. Th. in 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 3. Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de ref. alioquin esset inualida absolutio quam daret Sacerdos non habens hanc potestatem, siue ordinariam siue delegatam. cit. Conc. sess. 14. c. 7. ad hoc. cap. in. iun. gl. v. pro ignorantia. dist. 6. de pœnit. cap. omnis vtriusq. de pœnit. & remiss. S. Th. lo. cit. in 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 3. S. Bonavent. ib. q. 2. art. 2. Palud. ib. q. 3. art. 1. Ang. lo. cit. num. 2. Sylu. v. confessor. 1. q. 1. hocq; idem responsum fuisse à S. Cong.*

*Conc. in ann. 1580. DD. Examinatoribus Diœcesis Leodien. videlicet confessionem Sacerdoti non approbato factam esse nullam & iterandam, testatur Capeuilla de cas. refer. cap. 3. q. 1.*

Dat autem Episcopus potestatem hæc absoluendi. Primo curatis ipsa beneficij Parochialis collatione, ita vt eo ipso quod aliquis consequitur beneficium Parochiale nisi aliud obstat, vt dummodo sit Sacerdos, & dummodo non sit suspensus & similia, possit audire confessiones in sua Parochia. *cap. vnicuiq. 16. q. 1. Host. lo. sup. cit. in sum. de pœnit. & remiss. S. cur. constitendum. sub num. 14. Abb. eo. tit. in c. omnis vtriusq. num. 14. & patet extex. Conc. lo. cit. cap. 15. sess. 23. de ref. non tamen in aliena Parochia, alienæ enim Parochiæ terminos aut iura euadere non debet. c. Ecclesias 13. q. 1. nec censetur approbatus ad alia loca Diœcesis, eo quod fuerit prouisus de beneficio Parochiali. Guttierrez lib. 1. can. quest. cap. 27. num. 21. super quo etiam consulta S. Cong. Conc. respondisse fertur in hæc verba.*

*An prouisus de Parochiali Ecclesia per concursum, censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illis*

illa Diœcesi in qua illâ Parochiam obtinet.

Cong. cens. censeri duntaxat in ea ciuitate, vel oppido vbi sita est parochialis, non autem passim per totam Diœcesim.

Similem declarationem refert Suarez de Sacram. disp. 23. sect. 4. num. 17. ipse tamen. *ib.* à num. 12. contendit sic approbatum per assecutionem Parochialis saltem de licentia Parochi loci, posse alibi in propria Parochia audire confessiones per Diœcesim; quod multis rationibus ex iure antiquo deducit, præfertim ex *cap. placuit. dist. 6. de pœnit.* tum & consuetudine suarum regionum confirmat hoc idem, de qua consuetudine. *loc. cit. num. 19.* sic dicit. *Inter nos verò hanc scimus esse consuetudinem, vt Parochi sese mutuo iuuent ex solo suo consensu, non tantum intra eandem Diœcesim, quod est certius & frequentius, sed etiam in consinio distinctarum Diœcesum.*

Eandem consuetudinem extra Italiã multis locis vigere, præsertim in Polonia & Germania nos quoque vsu comperimus, sed melius consuleretur consuetudini huiusmodi, si proponeretur S. Cong. Conc. declaranda in specie ad loca prædicta.

Proprium autem Parochianum posset absolueri in aliena Parochia, vel etiam in aliena Diœcesi, quia nimirum ista iurisdicção non est contentiosa sed voluntaria. *Hofst. lo. sup. cit. vers. & nunquid. Nau. in c. p. acuit. num. 84. de pœnit. dist. 6. Victor. de confess. num. 152.* vel potest concedere facultatem suo Parochiano recipiendi Sacramenta in aliena Parochia. *Abb. in Clem. 1. à. nu. 8. de priuil. vbi dicit hoc posse facere Parochum etiam si nondum esset Sacerdos, imo etiã si esset excommunicatus. Nau. in cap. placuit, num. 51. de pœnit. dist. 6.*

Et si dimiserit aliqua causa beneficium Parochiale, desinit approbatio, nec

censetur idoneus ad audiendas confessiones absque alia licentia. *Suarez loc. cit. num. 20. & 21.* vbi notat nomine Parochialis beneficij, intelligi etiam beneficia habentia iurisdictionem in foro spirituali, vt officium Vicarij, Episcopi, Pœnitentiarij Cathedralis Ecclesiæ, Archipræsbyteri, Archidiaconi habentium iurisdictionem actu. *ad hoc gl. in. cap. 2. v. suo subdito de pœnit. & remiss. & in Clem. 1. v. præsbyteri. de priuil. Abb. in cap. omnis vtriusq. num. 12. de pœnit. & remiss. DD. ib.*

Eandem potestatem ad confessiones dat Episcopus non tantum curatis, sed etiam alijs Præsbyteris, approbando eos, circa quam approbationem potest præmittere examen super sufficientia approbandi si ipsi videretur necessarium. *Conc. loc. cit. & potest dare approbationem siue ad certum locum, siue ad certum tempus, siue generaliter & indistinctè pro suo arbitrio, concessamque potest reuocare ex causa. Henriquez in sum. de Sacra. pœnit. lib. 3. c. 6. §. 3. & 7.* alioquin nisi reuocetur approbatio semel concessa semper durat, nec expirat etiam per mortem concedentis, per ea quæ adducit. *Nau. in cap. placuit, nu. 161. & seq. dist. 6. de pœnit. vel nisi per successorem reuocetur, huic enim est integrum reuocare huiusmodi facultates, aduocare in examen approbatos, & reprobare quos viderit minus idoneos, vt plenè deducit. Suarez loc. cit. sect. 7. num. fin. & sect. 8. per totum.*

Datur & regularibus potestas prædicta, neque enim isti possunt confessiones audire nisi fuerint examinati & approbati ab Ordinario. *Clem. dudum. §. statuimus. de sepult. Conc. Trid. loc. sup. cit. & const. Leon. X. in Conc. Lateran. incip. Dum intra mentis arcana. quam alio loco referemus, hoc idem innouauit*

uit. Pius V. Constit. sua. an. 1587. 8. Idib. Augusti. cuius verba sequuntur.

Romani Pontificis providentia & infra. Hac nostra constitutione perpetua sancimus, decernimus & declaramus, decretum Conc. Trident. de approbatione Regularium audiendis confessionibus secularium prapositorum ab Episcopis facienda, obseruari debere etiam in omnibus Regularibus, quorumuis ordinum mendicantium, etiam sub Regulari disciplina viuentibus, etiam si sint Lectores aut in Theologia etiam de superiorum suorum licentia graduati vel promoti, vel à suis Magistris Generalibus vel Prouincialibus, Ministris secularium confessionibus audiendis expositi. Volumus tamen eos qui semel ab Episcopo in ciuitate & Diocesis suis prauo examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari, ab Episcopo autem successore pro maiore conscientia sua quiete, examinari de nouo poterunt. Inhibentes quibuscungq, Regularibus quorumuis ordinum etiam mendicantium, vt præfertur, ne vigore deputationis & approbationis ab eisdem Magistris & ministris Prouincialibus, etiam quod illarum occasione ab ordinarijs hucusq, tolerati fuerint, absq, speciali in posterum licentia & approbatione ab ordinarijs obtinenda, seculariũ confessiones audire præsumant. Decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis ac nostris literis prædictis, & alijs postea quibuscungq, Regularibus concessis, & forsan extensis, quas ad ea que præsentibus aduersantur & contrariantur penitus & omnino reuo-

camus, cassamus & irritamus.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Neque hæc ordinatio reuocata fuit per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Conc. Trid. factam à Greg. XIII. vt declarauit Sac. Cong. Conc. referente. *Confect. in sum. priuileg. mend. tit. 17. c. 5. in hæc verba.*

Congregatio Conc. censuit Regulares ad audiendas in ciuitate & Diocesi secularium confessiones semel ab Episcopo prauo examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos. Cæterum à successore posse vtriq, examinari iuxta constitutionem sanctæ memoriæ Pij V. datam 8. Id. Aug. Pont. sui an. 6. qua à Fel. rec. Greg. XIII. non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Conc. Trid.

A. Card. Carafa.

De modo reuocandi easdem approbationes Regularibus ad audiendas confessiones secularium concessas, emanauit quoque recens decretum S. Cong. Episcoporum & Regularium, cuius tenor est talis.

Cum sacra Congregationi Cardinalium negotijs Episcoporum & Regulariũ Prapositorum innotuerit Confessarios Regulares graueret cõqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis & locorum ordinarijs ab audiendis confessionibus quauis de causa indiscriminatim suspendantur, & propterea sæpè contingere vt ab ijsdẽ Archiepiscopis, Episcopis & locorum Ordinarijs, omnibus simul vnus conuentus Confessarijs confessiones audiendi facultas adimatur; illustrissimi eiusdem sacra Congregationis Patres rati vix fieri posse, vt hac sine scandalo, magnaq, animarum pernicie contingant, re maturè

N

per-

perpensa ad omnem scandali materiam  
summoendā, & quo magis spirituali  
piarum mentium consolationi consula-  
tur, statuunt & decernunt, Archiepisco-  
pis, Episcopis alijsq; locorum ordinariis ad  
quos Confessarios approbādius spectat,  
Confessarios Regulares alias ab ipsis li-  
berè approbatos, ab audiendis confesio-  
nibus suspendere posthac minimè licere,  
nisi ex noua causa, eaq; ad confessiones  
ipsas pertinēte, aut ob non seruatum in-  
terdictū ab ipsis ordinariis positum. Sta-  
tuunt insuper eosdem Archiepiscopos, E-  
piscopos Locorumq; ordinarios confesio-

nes audiendi facultatem omnibus simul  
vnius Conuentus Regularibus Confessa-  
rijs, eadem sacra Congregatione incon-  
sulca, nullo pacto adimere posse. Quod  
quidem Decretum vt ydem Illustrissimi  
Patres opportunum & necessarium du-  
xerunt, ita inuolabiliter iubent obser-  
uari. Romæ 20. Nouemb. 1615.

A. Mar. Episc. Hostien. Card. Gallus,

V. Theatin. Secret.

Locus † Sigilli.

Romæ ex Typographia Reuerendæ  
Cameræ Apostolicæ. M. DC. XV.

## ARTICVLVS III.

### De casibus Episcopo reseruatis.

- 1 Sacerdos ex generali approbatione, non potest absoluerē casus specialiter reser-  
uatos.
- 2 Casus Episcopo reseruatos absoluerē non potest inferior Sacerdos.
- 3 Regulares absoluerē non possunt casus Episcopo reseruatos virtute Maris magni.
- 4 Casus de iure Episcopo reseruati.
- 5 Clerici percussio que dicenda leuis, manet iudicio Episcopi.
- 6 Episcopus absoluerē potest ab omni excommunicatione, qua nemini est reser-  
uata.
- 7 Excommunicationes in corpore iuris. Conc. extrauag. nemini reseruata.
- 8 Episcopus in quibus votis dispensare possit.
- 9 Matrimonij impedimenta quando dispensari possint per Episcopum.
- 10 Casus reseruati Episcopo ex consuetudine qui sint.
- 11 Casus quos sibi reseruare solent Episcopi.
- 12 Episcopus quem modum tenere debeat in reseruandis casibus.
- 13 Episcopus non debet esse difficiis in concessione facultatis, ad absoluerē reser-  
uata.
- 14 Potestate concessa ad reseruata, non possunt absolui irregularitates vel censurae,  
nisi exprimantur.
- 15 Episcopus tenetur constituere prebendam penitentialem in Cathedrali.
- 16 Vicarius Episcopi non potest absoluerē reseruata vigore generalis mandati.
- 17 Capitulum sede vacante absoluerē potest omnia reseruata, etiam irregulari-  
tates.
- 18 Casus reseruati absolui possunt vigore Iubilæi.